

*DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA*

DE

# DOLORE ET SPASMO EX CALCVLO FELLEO

*QVAM*

AVSPICE NVMINE DIVINO

ET

*GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV*

PRÆSIDE

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE & h. t.

DECANO

PRO DOCTORALI DIGNITATE

LEGITIME OBTINENDA

*Ad. d. Junii Anni MDCCXXXI.*

*H. L. Q. C.*

Publico eruditorum examini committet

**ABRAHAMVS NITZSCH**

DANTISCANVS.

*HALÆ MAGDEBVRGICÆ*

Typis Ioh. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DOLOR ET SPASMO EX  
HYGROCERULO HELLENO  
DN. RIBERICHO HOFMANNO  
PRO DECIMARUM DIGNITATE  
JOACHIMO GÖTTSCHE  
Technion Christi Himmels, Academias

VIRO  
ILLVSTRI ET MAGNIFICO  
DOMINO  
FRIDERICO HOFFMANNO.

COMITI PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO, ARCHIA-  
TRO ET PROFESSORI REGIO, SOCIETATIS SCIENTIARVM CÆSA-  
REÆ LEOPOLDINÆ ET PETROPOLITANÆ, NEG NON  
REGIÆ BRITANNICÆ ET BORVSSICÆ  
SODALI

TWENTY FIVE HUNDRED  
PATRONO, PRÆCEPTORI ET STVDIORVM  
SVORVM PROMOTORI IVXTA DEVUM  
VNICE COLENDΟ

NEC NON

VIRO  
SVMME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO

JOACHIMO WEICKHMANNO.

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI, REVERENDI MINI-  
STERII SENIORI, NEC NON AD ÆDEM MARIANAM  
IN PATRIA PASTORI PRIMARIO

PATRONO MERE PATERNO, OMNI HONORIS  
CVLTV JVGITR PROSEQUENDO.

HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
IN PERPETVAM GRATI ANIMI TESSERAM  
DEVOTÆQVE PIETATIS MONVMNTVM  
PRO SINGVLIS IN SE LARGA MVNIFICAQVE MANV  
COLLATIS BENEFICIIS  
EO, QVO DECET ET DEBVIT  
AMORIS ET HONORIS TENERRIMO  
AFFECTV  
CONSECRAT ET DEDICAT  
**TANTORVM MÆCENATVM**

Cliens obstrictissimus  
RESPONDENS.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

# GRAVIBVS DOLORIBVS ET SPASMIS EX CALCULO FELLEO.

§. I.



Quidem fere innumerabiles,  
quaे integrum humani corporis  
statum pervertunt vitaque stru-  
unt insidias, reperiuntur caussæ,  
inter quas tamen præcipuum  
propemodum res vilissimæ & ab-  
jectissimæ ut sunt calculi, sibi lo-  
cum vendicant. Et quamvis nulla fere pars corpo-  
ris nostri sit, in qua illi non suam habeant sedem at-  
que domicilium, præsertim, ubi humor paullo diu-

A 3

tius

tius alveo inclusus moram nectere debet, nullibi tamen frequentius, quam in viis urinariis, ut sunt renes, ureteres & vesica, nec non in biliariis, ut sunt vesicula fellea; ductus cystici, hepatici, cholodochus, imo ipsa cavitate duodenii hospitantur.

## §. II.

Sævissimæ quidem sunt passiones, eæque dolorificæ, quæ, universum nervosarum partium systema vel maxime impotentès, totam motuum vitaliū cœconomiam pervertendo, a calculis in viis & canalibus urinariis suscitantur, sed non minoris fœvitiae, nec minoris periculi sunt illæ affectiones, quæ a calculofis concretis intra canales biliosos contentis proficiscuntur. Ut vero interdum ægre admodum in ductibus, qui consistunt urinariis calculi, ita longe difficiliori ratione biliosi dignoscuntur & di-judicantur, adeo, ut demum post sectionem atrocium variorum symptomatum, quibus per longum tempus afflicti fuerunt ægri, incognitæ caussæ in sensus incurvant: hinc quum frequentius, quam Medici communiter existinant, graves, pertinaces & vix explicable ab ejusmodi calculis foveantur dolores, e re utique fore duximus hanc in praxi medica utilissimam materiam pertractare paullo accuratius.

## §. III.

Primo annotare licet, quod in nullo animantium genere crebrius ac in humano corpore folliculus felieus calculis refertus observetur, & quod hi ipsi ratione

tione figuræ, coloris, magnitudiniis, consistentiæ, numeri mirifice inter se differant. Vix enim ulla in rerum natura reperitur figura, vix ullus color, qui non in calculis cystidis felleæ conspiciatur. Alii ovalem, & rotundam, alii exacte cubicam, quidam triangularem, quadrangularem, sexangularē, octoædram, pyramidalem etiam recipiunt figuram: sunt, qui fabas, phæsolos, lentes, pīsa, castaneas, tribulos aquaticos, nucem moschatam referunt. Mirum etiam in modum ratione coloris variare solent; sunt, qui cretacei, gypsei, ex albo-cinerei, plumbei coloris observantur; frequentius flavescentes vel exflavo-rubicundi, bruno-nigricantes, nigri, viridescentes etiam interspersis maculis deprehenduntur; alii pluribus coloribus variegati; quidam exterius crusta cretacea & gyphaea obducti interius nucleus habent ex bruno-rubicundum.

## §. IV.

Ingens etiam est differentia biliosorum calculorum ratione consistentiæ. Quidam sunt friabiliores & molliores & tales sunt plerumque albi, cineritii & flavescentes valdeque leves; alii sunt magis compatti, solidi & graviores & tales sunt quam maxime qui satu atiorem colorem habent ex flavo-rubicundum vel nigricantem, & hi saepe levigati & politi observantur. Licet vero ordinario plurimi lapides cystici aquæ injecti supernatent, tamen solidiores & compactiores, quales sunt maxime levigati & obscurioris coloris submergi & fundum petere non semel observavimus. Deinde etiam saepius vidimus, eos, qui

qui leviores aquæ supernatant, si paullo diutius in ea detinentur, descendisse, forsan, quod in ipsis poris successive particulæ aqueæ sese insinuaverint. Neque hoc prætermittendum esse ducimus, quod lapidum qui supernatant, fragmenta & minores portiones in fundum secedant, non secus ac in pumicē, qui grandioris molis supernatat, in pulverem vero reditus descendit, advertitur.

## §. V.

Mirum etiam variat cysticorum calculorum magnitudo & numerus. Nam certa auctorum probatissimorum fide & observatione constat, totam vesiculam a calculo ingentis magnitudinis, qui aliquot uncias pendebat, valde fuisse expansam & totam ejus cavitatem impletam: quin interdum in defunctis numero triginta, quinquaginta, octoginta, imo trecentos, quorum alii sunt majoris, alii minoris, alii mediae magnitudinis, inveniri experientia docet.

## §. VI.

In ductibus biliosis, qui immediate ex hepate vel in - vel extra ejus parenchyma proveniunt, concrementa etiam solida ex bile producta in animantibus præsertim bovini generis, frequentissime, in humano vero corpore paullo rarius offendit, ipsa docet experientia. Dubio procul ob eam rationem, quia bilis hepatica longe liquidior, dilutior quoque est ac cystica, quæ crassioris consistentiae & saturioris etiam coloris, amaricantioris quoque saporis observatur: deinde, quia in ductibus hepaticis, ex qui-

quibus continuo in fatis notabili quantitate ad duodenum biliosus fertur humor, non tam diuturnam qua requiritur ad fluidi dissipationem & solidescens materiae concretionem, nectere potest moram. Si tamen, ut auctores testes sunt, ibi offenduntur, longe friabilioris & mollieris sunt consistentiae, asperiores quoque, tubulosi ac flavescentes.

## §. VII.

Experimenta, quæ cum calculis felleis ad eorum elementa & ingredientia paullo curatius pervestiganda & discriminanda, instituimus, hoc loco recensere operæ pretium videtur. Primo observavimus, quod omnes illi, qui saturioris & obscurioris coloris paulloque solidioris consistentiae sufficienter exsiccati, vel in massa, vel in pulvere, candelæ ardenti admoti mox instar resinæ lucidissimam concipient flamمام, & toti, exigua saltim relicta materia nigra & cineritiae fere insipida, comburantur: illos vero, qui albi & cineritii coloris, gypsee & cretaceæ materiæ, flamمام respuerre, vel leviter saltim eam suscipere & instar ceræ in lamina ferrea ignita fluere vidimus. Deinceps annotavimus, eos lapides cysticos, qui solidioris fuerunt texturæ & saturioris coloris, nec a spiritu vini rectificatissimo, nec ab aqua, accedente etiam leni coctione, dissolvi potuisse. Alio vero tempore a nobis animadversum est, illos lapides cysticos, qui ingentis fuere magnitudinis & mollieris substantiæ, totam fere cystidis implentes cavitatem, ultra dimidium in aqua calida fuisse solutos.

B

## §. VIII.

## §. VIII.

Non indignum porro observatione est, quod qui in hepate ejusq; ductibus in bove reperiuntur & eximuntur calculi saturate flavescentes & friables, difficulter admodum, vel exiguum saltem concipient flammarum, in nigrum vero cum fumo, qui crinium instar combustorum refert odorem, redigantur carbonem. Spiritus vini hisce affusus & leniori calore digestus, brevi tempore flavo colore tingitur & saporem valde amaricantem exhibit. In aquam calidam horum calculorum fragmenta injecta parumper dissolvuntur, sed saltim levis, flava cum amaricante sapore, extrahitur tintura. Recens bilis ex vesicula bovis desumpta tribus uncii aequans, tam amaricante praedita est sapore, ut una guttula unciam unam aqua amaro re imbuere possit. Hujus uncia in vase stanneo leni evaporatione in extractum resiniforme redacta, drachmam vix unam largitur, cuius portio flammæ admota lucidissime ardet, dimidio præterpropter in cineres abeunde. In spiritu vini rectificatissimo ægre solvitur, optime vero in aqua atque etiam spiritu vini aquoso, color est flavus & sapor valde amaricans. Quodsi inspissatae bili bovinæ liquidiori tenuissima argillacea & gypsea materia intime permiscetur, per exficationem exhibet massam paullo duriorem, quæ flammæ admota æque ac calculus cysticus ardet.

## §. IX.

His ita constitutis & accurate perpenfis plane apparet salia nec alcalia, nec acida, nec neutra, vel tartar-

tartarea, ut communis fert opinio, ad generationem & concretionem biliosorum calculorum concurrere; sed eos ex sulphurea paullo mucidiori bilis portione, intermixta plus minus teneriori glutinosa vel topacea materia calore successive inspissata in durum quoddam concrescere mixtum, & variam figuram variumque, pro differenti partium mixtum constituentium positu & situ, recipere cōlorem. Nam salibus tantummodo haud proprium esse sub variis coalescere & concrescere formis & figuris, id inter alia varii & elegantissime sāpius figurati lapides ex sola aqua in cryptis & specubus subterraneis, ut sunt Baumanniana, Scharzfeldiana, guttatum stillante produēti, luculentē demonstrant.

## §. X.

Genuinam autem tam diversae configurationis & coloris in progignendis calculis cysticis rationem ac modum expedite concipere atque invenire, non tam promtum est ac facile. Evidē, si consideramus longe crassiorem & saturatiorem quin etiam amari-cantiorem esse, quæ in cystide detinetur, bilem, ac eam, quæ immediate ex ductibus hepaticis ad duodenī cavum defertur, utpote quæ longe tenuior, liquidior minusque amaricans est: sique simul attendimus, bilem, ex qua in ejus folliculo efformantur calculi, ex hepate etiam per minimos ductus, qui rete cystico-hepatici nominantur & in tunicam cellulofam cystidis finiuntur, in ejus cavitatem identidem liquidam & dilutam fieri; non aliam possumus duri-

oris consistentiæ reperire cauſſam , quam quod in homine ob ſitum veſiculae felleæ erectum bilioſus humor non continuo ſlumine promanet , ſed tum de- muſ prorumpat , quando a ventriculo cibis referto ipla premitur , hinc fit , ut vacuo ſub longiori inap- petentia ventriculo diutius ibi moram neceſtere & stagnare debeat , atque interea liquidior ejus parſtum per vafa cystidis lymphatica , tum per iplos etiam poros ejus tunicarum , quæ microſcopio inspectæ oculis non aliter ſe objiciunt quam pannus indicus vulgo Nefel . Tudi foras propellatur , crassiori quæ facile in coagulum abire potheſt , remanente parte . Prout vero bilis pro diversa indole & conſtitutione ſeri excrementiī , quod materiam præbet , in tanta varietate corporum infirmorum , non unius ejusdemque eft mixtionis ac craſeos , ſed plus minus partibus ter- ſtribus , tophaceis & coagulabilibus , item ſulphureis magis vel minus exaltatis , referta , hinc variæ inde reſultant figuræ & colores . In cachecticis enim ſæ- pius calculi gypſei & albicantes inventi ſunt , quinimmo in iplis ictero chronicō laborantibus , copioſa cre- tacea & gypſea , quæ dubio procul ductibus hepaticis infedit , per alvum dejecta materia , morbum ſubla- tum fuiffe binis obſervavimus exemplis . Ita etiam commemorant M. N. C. Decur. II. anno VII. obſ. 145. materiam tophaceam in pueri atrophia laborante cum alvi dejectione copioſe fuiffe eductam , quæ inſtar lateris modoru- fo , modo fulvo , modo atro prædicta fuit colore .

## §. XI.

## §. XI.

Ad generationem calculorum biliosorum complures utique causas concurrere certissimum est. Has interpræcipuæ sunt ætas inclinans: rarius enim in hominibus ætatis florentis, frequentius vero in se nibus decrepitis sexaginta, septuaginta, octuaginta annorum cystidem pluribus & durioribus etiam calculis refertam fuisse, permultis obervationibus confirmatur. Qui desiderant agunt vitam & parum corpus exercent, præ iis qui mobile semper vitæ genus habent, ad ejusmodi calculosas concretiones magis idoneos esse videmus. Sic quoque in feminis cœbrius quam in viris reperiuntur. Quarum rerum hæ in promtu sunt causæ, progressus sanguinis per venas meseraicas, per portæ venam & hepar, uti secundum naturam & consuetudinem semper paulo tardior & difficilior est quam in aliis visceribus, ita in iis, qui vitam colunt sedentariam, cuius generis præcipue sunt ætate confecti & sequioris sexus, longe segnior & difficilior redditur; unde ob impeditionem sanguinis per hepar progressum, fit, ut partes aquæ & fluidæ in vasa secedant lymphatica, remanente & sanguinis & biliosi humoris, qui ex eo separatur, crassiori consistentia. Porro ad horum calculorum frequentiorem proventum immoderatum spiritus vi ni item cerevisiæ crassioris usum plurimum conferre, non modo auctoritate & fide Cl. SYLVII constat, qui prax. med. libr. I. p. 302. testatur: *se ex hujus aliorumque potuum generosiorum abusu aliquoties iterum*

B 3

¶ huic

*S* huic succedentem acicen ut plurimum lethalem obseru-  
se, hepate scirrhoso multisque calculis. *E*t opibus obesse subinde  
reperio; sed & ipsa sana ratio id evincit: nam spiritu-  
sa inque primis spiritus vini, & chylum & lympham  
& sanguinem ad coagulum quam facile disponunt. In  
laboribus enim chymicis ad crystallisationis nego-  
tium promovendum spiritum vini mixturæ affusum  
magnum vim habere, compertissimum est: præterea,  
potibus vinosis & spirituosis corpora nimis incale-  
scunt, & dissipato liquido sanguinis & humorum in-  
craßatur massa. Deinceps feminas post quinquagesi-  
mum annum, cessante mensium fluxu, calculis non  
modo urinariis sed & biliaris atque inde gravibus o-  
bortis symptomatibus tentari, identidem experien-  
tia docemur; cuius vix alia fubest ratio, quam quod  
succrescente majori sanguinis in vasis copia, hic dif-  
ficilius moveatur, & hinc inde subsistens fecidenti-  
bus partibus tenerioribus spissior reddatur. Nec ra-  
rius vidimus, ejusmodi feminas inexplicabilibus in e-  
pigastrica regione doloribus expositas fuisse, ita, ut  
morti vicinae ob vehementes angustias & anxietates  
visæ fuerint, superveniente intenso subinde extremo-  
rum frigore, dictorumque symptomatum singulis  
diebus circa medium noctem recursu, quibus accel-  
erit dolor in hypochondrio dextro ad totum abdo-  
men interdum fese extendens, cum foedo ad flavum  
accidente, faciem totumque corpus deturpante colo-  
re; quæ tamen pathemata exclusis per alvum vel sua-  
pon-

sponte vel artis beneficio excrementis argillaceis prorsus quieverunt.

## §. XII.

Sæpissime evenit, ut cum calculo renali sese etiam conjungat felleus, quod non ita pridem in Celeb. nominis Archiatro Regio observavimus, qui per plures annos calculosa nephritide laborans, tandem ieteritia affligebatur, ad quam tollendam dum præscriberentur mixturæ aperientes & laxantes, tandem septem per anum reddeabantur calculi fellei. Hinc haud imperite in praxi sua scribit BAGLIVUS: *qui calculo vesicæ & renum laborant, in iis sepe coagulum bilis in folliculo ejus reperiatur & vice versa.* Neque alienum in praxi est, sæpius obtingere, nephritidem post ieterum & quiescentibus ex calculo renali doloribus hunc succedere. Quid? quod in senibus doloribus arthriticis, podagrīcīs, & nephriticis demortuis, fellis vesicula mire a lapidibus distenta reperiatur, multis illustrare ac confirmare possemus observationibus, si modo id per temporis & instituti rationem liceret. Ante annum Altenburgi vir generosus, immanibus ex calculo vesicæ per multos cruciatus annos doloribus, frustra adhibitis alias satis præsentis efficaciam dolorem & spasmos lenientibus præidiis, e vivis discessit; in cuius post mortem dissecto corpore lapis in vesica octo uncias pendens inveniebatur, pelui inhærebat lapis firmæ marmoris instar texturæ drachmas sex ponde- re habens, in cystide vero fellis plusquam septuaginta minoris & majoris magnitudinis calculi deprehendeban-

debantur, quorum nonnulli tam pulchre lævigati & politi, variegatique erant coloris, ut jaspidum instar annulis includerentur aureis. Neque mirum est, cachefticos & qui in hydropem inclinant, ejusmodi, quæ a calculis felleis suscitantur, creberri- me tentari & graviter exerceri symptomatibus, quia eorum vasa ac viscera inque primis hepar crassi & vi- tiosi seri mole farcta & preffa sunt.

## §. XIII.

Sunt vero varii & valde acerbi generis, quæ cal- culos ductibus biliaris inhærentes comitari & inse- qui solent pathemata, ut etiam collective sumta & considerata, eorum præsentiam arguant. Ordinaria fere sunt: non vagus sed in una eademque sede, hypocondrio nempe dextro circa regionem hepatis defixus & constans, premens, gravativus vel etiam acutus cum foedo plerumque faciei colore, interdum ad epigastricam regionem & cordis scrobiculum sese extendens dolor; cuius certis intervallis tanta fit exacerbatio, ut tormina ac cruciatus totam abdomi- nis cavitatem occupent, juncta plerumque inappé- tentia, nausea, conatu ad vomendum, circa præcor- dia anxietate, dolore cardialgico, animi detectione, alvo duriori & adstrictiori: quibus tandem dira & contumax optimis haud aufultans remediis accedit iæteritia. Quidam afflitorum continuo ventris tor- minibus exagitantur & vitam per multos annos mi- ferrime trahunt; plurima pars hydrope perit. In quibusdam gravativus, obtusus, profundus fatisque con-

contumax cum sensu ponderis dolor persentitur, idque plerumque fit, quando mollioribus & minoribus calculis folliculus valde distenditur felleus: Intensior vero & acutior si persistit & universum Systema partium nervosarum in consensem trahendo non modo vehementes spaisticas stricturas circa partes vicinas sed etiam remotas, brachii nempe & artuum distensiones, convulsiones epilepticas, cum pulsu duro & celeri febrem efficit, indicium est, calculum & mole & asperitate insignem firmiter ductibus biliaris inhaerere & hinc etiam fit, ut brevi mortem accersat.

#### §. XIV.

Observavimus quoque calculo felleo laborantes ex atroci in hypochondrio dextro dolore non modo in icterum contumacem sed & in asthma convulsivum incidisse, quod hydrops pectoris lethalis infecutus. Ita TIMÆVS a GÜLDENSEE Libr. III. Cuf. XXVIII. fidem facit, dolores arthriticos diurnos icteritiam incurabilem, tandem ascitem lethalem infecutum esse, calculo post mortem totam cystidem replente, invento. Idem quoque BIANCHI in historia hepat. Part. II. Cap. XI. p. 188. annotavit, quod nempe a calculis in cystide fellea degentibus frequenter icterus, cachexia, hydrops, psora, pustulae, tubercula aliquae corporis defæcations cum epilepsia & marasma originem suam trahant. Et Miscell. Nat. Curios. Anno MDCCCLXX. Obs. XLIV. referunt, quod in quadam atrocissimo dolore ischiatico, asthmate, auriginoso morbo defuncto septuaginta duo lapilli coloris flavi, subnigri fabarum minorum ac piforum magnitudine

C

in

in vesicula fellea & cholodocho ductu inventi & detecti fuerint.

§. XV.

Inter haec vero omnia, quæ jam monuimus, signa, nihil datur certius vehementes a calculo felleo prognatas dijudicandi passiones, quam si ipsi cum excrementis per alvum secedunt, & tum non fecus ac in calculis renalibus, si hi ex ureteribus in vesicam fuerint delati, omnes simul & semel dolores cum reliquis gravibus afflictionibus cessant atque exspirant, iterò saltim excepto qui non simul sed successive tandem evanescit, eo, quod bilis sanguini & lymphæ intime immixta non tam facile rursus e corpore discuti potest. Calculi autem hi, qui per alvum deturbantur, non unius ejusdemque coloris, magnitudinis & numeri, observantur, atque etiam pro differenti saturatione sedem, quam occupare solent, subindicant: Nam si sunt molliores, dilutioris, vel etiam tophacei & gypsei coloris e ductibus hepaticis, quibus inhæserunt profectos esse haud levi argumento est: si vero minores, si asperi, si duriores, angulares & coloris paullo saturioris folliculi fellei hospites fuisse & per angustum illum canalem cum acerbissimis symptomatibus iter suum confecisse, haud obscure colligitur.

§. XVI.

Ipse quoque fecum alvinarum differens color quoddam de calculi ipsius sede signum exhibet. Nam si acutus admodum cum vehementioribus stipatus symptomatibus dolor diu dextrum tenet hypochondrium,

drium, & excrementa non cinetitia vel argilloſa sed flavo coloretineta ſecedunt, nec corpus flavo fædo colore defædatum eſt, cýftico duc̄tu lapidem inherere libero existente meatu hepatico, ut ex hoc viſcere bilis ad duodenūm perfluere poſſit, non levis eſt conjectura. Si vero ſub dolorum & ſpasmodum ingenti ſyndrome & rebelli icteritia feces coloris argillacei & cinerei rejiciuntur, in ipſo duc̄tu cholodocho ſedem & cauſam malorum hærere non ſincratione judicatur;

### §. XVII.

Ceterum teſtantur obſervationes eaque non rārē, poſt mortem veficulam fellis multis lapidibus refertam inventam fuīſſe, ubi & corpus a fædo icterito colore iſſume & ab aliis etiam gravibus paſſionibus liberum extitit. Cujus rei cauſam ſinē ulla dubitatione inde derivamus, quod calculi tam illi qui veficulam felleam, quam etiam qui renūm ſubſtantiam obſident: ſi quiete jacent, nullas valde ſenſibiles procreent moleſtias atque incommoda; quandoconque vero ita vel ratione ſedis vel ratione molis & figure ſunt comparati, ut nervoſas exquiritæ ſensationis membranas vel duc̄tuſ violenter lancinent aut diſtentant, protinus tota œconomia actionum vitalium & animalium in universo corpore perturbatur, idque non tantum fit, quando calculi per duc̄tuſ cýfticum ad cholodochūm, iteriuſum conficiunt, ſed & quando ipſa veficula fellea, quæ membranis nerveis ſenſibilibus ob dextri intercoſtalis intersperſas ramificationes

tiones, gaudet, a nimium aucto bilis coagulo valde distenditur, tunc non secus ac in vesica urinaria, si ingentis molis quandoque ad sex vel octo uncias, quale exemplum nuper habuimus, ibi hospitatur calculus, magna symptomatum acerborum caterva corpus obruitur. Legimus enim apud auctores spectatae fidei, felleam vesicam tam grandem a copiosa intus hærente solida materia tuisse deprehensam, ut naturalem magnitudinem vel triplum superaverit. Et meminit D. D. PRÆSES ensifabri cuiusdam ante aliquot annos hoc morbo lenæ vivis erepti, cuius vesica biliaria post mortem tantæ magnitudinis & amplitudinis reperta, ut ultra trecenta sexaginta sex grana partim pisa, partim globulos referentia bilis coagulatæ contineret: conquestus vero est hic vir per integrum ante obitum biennium de intolerabilibus doloribus, ut ignitos in corpore carbones habere putaret.

### §. XVIII.

Memorabile porro est, quod dolores & tormenta, quæ in dextro hypochondrio circa regionem hepatis occurrunt satis gravia, non tam a calculo vesicæ felleæ quam potius ipsa bile per poros ejus præsertim si calculis obturata, transfludante vicinas partes ventriculum nempe & partem subjacentem coli lancinante flavoque colore extrinsecus tingente, suscitentur, ita, ut nausea, vomitus, cardialgia, ventris tormenta, febriculosa per intervalla accedentes commotiones, convulsivæ quoque subinde artuum in infantia-

fantibus tractiones inde ortum suum trahant, quæ exempla sunt notissima. Legi merentur de hac re STALPART van der WIEL Cent. I. Observ. XLVII. & Cl.Dn. D. FRIEBE observatio, quæ in M. N.C.Dec.I anno III. centesima est, de auriga febre continua ardente defuncto, in cuius cadavere post mortem tenuior bilis pars exsudata reperta, quæ circum circa superas, inferas & adjacentes partes croceo colore tinxit ac ita corrosit, ut attactæ putredinem acquisiverint & magnam partem hypochondrii dextri putridam reddiderint illæsa plane vesicula fellea.

### §. XIX.

Neque statim ex ictero si adest, nec ex doloribus & spasmis circa præcordia obtingentibus ad præsentiam calculorum in vesicula vel ductibus felleis argumentari licet. Pluries enim hæc omnia sine calculis, vel calculosis, ductus biliosos obturantibus concrementis, sed potius a sola ductus cholodochi præfertim ejus partis, quæ oblique per membranas duodenii fertur, spasmatica strictura orta observavimus, id quod maxime primo & probe a SYLVIO notatum legimus. Quo casu etiam cura sine aperientibus, sine evacuantibus quæ plus detrimenti quam emolumenti afferunt, solis tantum antispasmodicis, demulcentibus & quæ dolorum leniunt atrociam, accommodatis remedii, fuit confecta.

### §. XX.

Dantur etiam dolores & spasmi cum consuetis symptomatibus juncti ex calculis felleis oborti, certis

C 3

perio-

periodis invadentes & repetentes. Ita notabilis est casus, quem B. PETERMANNVS in Dissert. de scrutinio icteri ex calculo vesiculae fellis recenset, ubi quidam ictero annuatim periodico cum doloribus affictus est, qui vero post evacuationem lapilli baccalauri similis cessavit: altero anno cum idem morbus rursus invaderet, exhibitis convenientibus remediis rejeti sunt per alvum plus quam sexaginta calculi flavescentes, quorum alii rotundi & laevi, alii angulosi & asperi, alii moliores, alii duros fuere, magnitudine partium phæseolos & pisa, partim quoque lenes referentes.

### §. XXI.

Verum enim vero in doctrina præsenti animadvertisendum esse puto, non levis sed magna considerationis esse conjecturas, tam diversæ magnitudinis, figuræ, coloris & numeri lapides ex intestinis per alvum reiectos non semper in cystide fellea vel ductibus hepaticis, sed ut mea fert opinio, in ipsa duodeni cavitate ex diutius ibidem restagnante bile quandoque fuisse prognatos & formatos. Occasione hujus conjecturæ mihi PRÆSIDI præbuit casus, qui hic loci ante sex circiter annos contigit, dum quidam ex præcipuis mercatoribus sexagesimum jam quintum agens annum diu & ictero & tumore etiam hydropico laboraret. Pluribus citra effectum exhibitis medicamentis Medicus famigerati hic loci nominis infusum medii corticis sambuci cum vino paullo largiori dosi porrexit, factum inde est, ut ab hoc medicamento tam vomitus

tus quam alvi etiam dejectiones satis strenuae concitarentur, una cum vel numero viginti lapidum ex flavo - viridis coloris, diversae magnitudinis, valde latæ superficie, figuræ tam quinquangularis quam angulosæ, drachmam unam imo dimidiâ ponderantium, sine præcedentibus dextri lateris tormentis, secessit. Quod fieri haud potuisset, si per ductus biliosos valde nerveæ & sensibilis texturæ exitum suum parassent. Cessavit inde quidem icterus sed remansit tumor hydroicus, qui etiam augmentum sumens laborantem è vita sustulit. Notatu quoque dignissima est observatio , quam inseruit LVCAS SCHROECKIVS M. N. C. Dec. I. anno IX. ita se habens: mulier annorum septuaginta quinque de ventris tormentibus, flatibus ac aliis pathematibus hypochondriacis læpius conquerens, respiratione subinde ad suffocationis metum subsequentibus animi deliquit suppressa, ita; ut de vita ejus actum esse adstantes judicarent, subito in colo obtusos persentiebat dolores, sensim adeo increascentes ac intestinum rectum lancingantes, ut præ atrocitate doloris disrupturam ani pertimesceret, donec tandem caleulum calido conatu divaricatis cruribus stando deponeret, ponderando unciam unam cum drachmis duabus, color erat castalinus eleganter lævigatus & politus ex cinereo - flavescentis variegatus, ex lamellis aliorum calculorum more sensim concrescentibus constans: interna substantia meros ostendebat circulos striis intersectos, indicio haud obscuro, eum non feces intestinales esse induratæ.

## §. XXII.

---

 §. XXII.

In hac vero sententia, quod in intestinis, maxime eorum flexuris, præsertim in duodeno, flexuris coli atque intestino cæco calculi diversæ figuræ, magnitudinis & consistentiæ generari possint, tam ex ingestis, quam ex humoribus lymphaticis mucilaginosis, biliosis copiose ibidem confluentibus confirmamur, quando perpendimus in bobus & equis subinde grandes fuisse lapides marmoris instar figuratos & politos ad libram usque dictis in sedibus fuisse repertos, quorum bina exempla, alterum Altenburgi, alterum in pago Herren Gossersstädt nobis innotuerunt. Pertinet hic quoque locus FERNELII, Libro VI. Cap. IX. de partium morbis & symptomatibus : *craffta pituita cœci aut coli intestini cellulis diutins coercita, non nunquam concrescit in calculos, quales sepe vidimus instar nucis juglandis, quosdam etiam magnitudine castaneæ, quanto die quiescente dolore exturbari.*

## §. XXIII.

Perspectis sic omnibus & singulis, quæ ad historiam hujus affectus, tum quoad causas, & prognosin, tum quoad eum diagnostendum faciunt, pertinentibus circumstantiis, sequitur nunc, ut etiam solliciti simus de accommodatis ad eum tollendum vel mitigandum saltim præfidiis. Quemadmodum vero duplex semper morbis medendi via est; altera, quæ in paroxysmo, altera quæ extra eum locum invenit, dum in illo medici consilium magis ad symptomatum, spasmorum & dolorum ingravescentium mitigationem

nem & alleviamentum : extra paroxysmum vero ad removendas caussas directum esse debet , ita etiam hanc in præsenti affectu locum obtinere existimamus ; quapropter nihil prius, nihil antiquius esse debet Medico , ac ut sœva illa, quæ a spasticis nervosarum partium stricturis circa præcordia & etiam partes vicinas excitantur, quodammodo leniantur symptomata ; Cui scopo obtinendo, quæ anodyna, demulcente & fibras nimis strictas relaxante virtute gaudent , egregie serviunt. Hujus generis sunt ex pingvibus interne fumentis oleum amygdalarum tam dulcium, quam amararum, sperma ceti : externe vero pinguedo cati sylvestris, castorei. Ex demulcentibus lac, serum lactis, emulsiones ex seminibus IV. frigidis, infusa vel decocta ex radice altheæ, herba malvæ, parietariæ, floribus malvæ, papaveris rhæados, syrpus de althea Fernelii. Ex anodynis spiritus nitri dulcis rite præparatus, liquor anodus mineralis III. D. PRÆSIDIS, extractum croci, papaveris rhæados. Ex antispasmodicis pulv. ex lapidibus cancerorum, cinnabari & nitro præparatus, pulvis antiepilepticus marchionis, lumbricorum terrestrium, pulv. antiepilepticus niger & qui ex rasura unguilæ alcis, cranii humani, nec non lepore ex utero seculo & exiccato parari solet, præsertim quando ex iis cum aquis florum antiepilepticorum concinnantur mixturæ. Externe epithemata & facculi ex emollientibus & carminativis speciebus parati, vel etiam vesicæ decoctis florum emollientium & paregoricorum repletæ partibusque affectis applicatae,

D

plane

plane singulare dolorum & spasmodorum lenimen afferre solent. Expedit quoque ad dolores sopiendos clymata ex lenientibus parata anno crebrius infundere, nec non alvum per blandum laxans, quale est, quod ex manna, rhabarbara, agarico recenter trochiscato, cremore tartari & id genus aliis confici solet, leniter ducere.

#### §. XXIV.

Extra paroxysmum vero quiescentibus spasmis & doloribus ad caussam mali funditus evelendam, ad obturatos meatus felleos aperiendos & ad calculos, si ipsis firmiter inhærescant, quantum fieri potest, extra corpus propellendos utique alia medendi via est ineunda. Ea enim, quæ strenua sua virtute jam dictos effectus præstant, in usum sunt vocanda, cuius generis sunt insusa & decocta ex aperientibus, resolventibus, discutientibus & excretionem promoventibus vel aqua sola vel vino permixta parata v. g. radice rub. tinctor. graminis, asparagi, petroselini, pimpinellæ, aristochiæ, curcumæ, cichorei, glycirrhizæ additis postea rhabarbara, trochiscis de agarico, tartaro tartarisato vel sale polychresto, item syrupo de althæa Fernelii. Quæ decocta, si convenienti dosi & sufficienti satis tempore in usum ducuntur, in hisce affectibus debellandis magna vi gaudere, experientia & multis observationibus evicti sumus, SYLV. in prax. med. Lib. I. Cap. XLV. & ex eo Clariss. LANCISIVS, BIANCHI inter medicamenta calculos biliosos dissolventia, decoctum radicis graminis, graminis-

*sneq*

minisque succum mirifice laudant atque commendant, hac potissimum ducti ratione, quod boves & oves mense Maji, quo gramine viridi vescuntur, sensim ab omni crusta lapidosa liberentur, quæ tempore hylemali, ubi sceno nutriuntur, in eorum folliculo fellis concrescere suevit.

## §. XXV.

Præter hæc radix pareiræ bravæ haud ita diu ex Brasilia in Europam translata ad drachmas duas in libra una aquæ leviter decocta potum admodum salutarem in omni calculo etiam in asthmate humido præbet, si tertia ejus pars tribus singulis horis cum pauxillo sachari tepide bibitur: hac enim ratione icterum felleum cum torminibus & ingenti dolore stipatum intra viginti quatuor horas discussum legimus in Acad. Royal des Sciences Anno MDCCX. p. 76.

## §. XXVI.

Nonnulli etiam milipedes vivos vino infundendos & siccatos in pulverem terunt & hos ipsos cum salibus neutrīs, ut sunt terra foliata tartari, sal poly-chrestum, tartarus vitriolatus & tartarifatus, solutio oculorum cancri, parca & refracta dosi ad obstructos hepatis meatus expediendos & ob omni bilioſa amurca liberandos maximū taciunt. AVICENNÆ cura, uti in ictero chronicō, a veteribus medicis magni semper habita est, ita etiam eam in iis, quæ in meatuum biliariorum obstructione & bilis ad concoctionem ciborum præpedito affluxu, consistunt vitiis, locum habere posse haud dubitandum est. Vetusſissimus vero

D 2

hic

hic auctor lumbricos siccatus cum vino albo & sa-  
charo ad saporis gratiam sumtos plurimum laudat,  
vel etiam horum pulverem cum syrupo de byzanti-  
is in pilularem redigit formam & crebrius vesperi  
propinat postridie superbibendo serum caprillum,  
ex lacte a capris prius herbis aperientibus fœnicu-  
lo, apio, petroselino, raflo, lupulo, evpatorio, aspa-  
rago, nutritis desumto, relicta eius caseosa substantia  
paratum. Ceterum externis quoque leniendis gra-  
vioribus symptomatis occurtere re erit. Faciunt  
huc utplurimum epithemata hypochondrio dextro  
applicata, quæ ex floribus camomill. vulg. &  
roman. herba scordii & carduiben. aqua florum sambuci  
& vino albo præparantur, si frequentius de die re-  
novata admoventur.

## §. XXVII.

Hæc vero omnia quando inaniter & incassum  
longo tempore usurpata fuerunt, ultimo tandem spes  
est sanitatem recuperandi in aquis medicatis natura-  
libus tam thermalibus quam etiam sic dictis acidulis;  
inter quas celebrioris famæ & effectus sunt thermæ  
carolinæ, aquisgranenses, acidulæ egranæ, pyrmon-  
tanæ, quibus certe magna & efficax virtus est rebel-  
les chronicas, quæ ab obturatis & crasso humore far-  
etis visceribus præsertim hepate proveniunt, persan-  
di passiones, si corpore prius probe præparato, solu-  
ta nempe plethora, vel cacochymia attemperata  
debito regimine tum in- tum exter-  
ne adhibentur.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO, NEC NON DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

**S**cientia medica sicut omnium præstantissima & plane divina, ita ejus applicatio in praxi ipsa multis difficultatibus miserisque involuta ac circumsepta est. Misera enim est illorum conditio, qui cum miseris hominibus subinde versari debent, præsertim, quum agrorum miseriam sublevare ipsis non semper sit integrum. Misera insuper res est, quando Medicus omnem assiduitatem, vigilantiam, peritiam & prudentiam suam ad conservandam pariter ac restituendam agrotantium sanitatem impendens, si ex votis succubentium minus felix præter omnem tamen ipsis culpam successerit exitus, perversa hominum judicia cum existimationis siepe lafione conjuncta experiri debet. Quid demum

D 3

mise-

miserius atque indignius artis suæ pérítissimo ac-  
cidere poterit, quando sedulo ac operose in artis  
exercitio versantis lateri, lèvissimæ sape conditio-  
nis homines minimum clanculum adjunguntur, qui  
malitiosas insidias ipsi struere maximopere allabo-  
rant. Miseræ denique Medicorum sorti annume-  
randum id est, pro præstito ad vitam & sanitatem  
aliorum servandam omni cum vigilantia auxilio,  
ingrati candorisque expertis animi vitium, hodie  
familiarissimum, sustinere. Quæ omnia quum ita  
sint comparata, ut facile quempiam ab addiscenda  
& facienda hac arte deterrere possent: hinc lucu-  
tentissime appareat, quam patienti, quam forti,  
quam magno ad has miserias & molestias sub bona  
conscientia & divine providentia præsidio superan-  
das opus sit animo. Quemadmodum vero nun-  
quam exhauiendum divine benicitatis fontem ri-  
vulos suos in omnes, qui proximi salutis causa  
quascunque molestias forti animo subeunt, largiter  
effundere eorumque arumnas perpessas multiplici  
modo compensare indies observamus: ita de TE  
quoque NOBILISSIME DOMINE CANDIDA-  
TE TULLUM indefessum laborem assiduamque sci-  
entiam medicam addiscendi industriam simulac cu-  
pidissimum TULLUM aliis inserviendi animum ac  
ardo-

ardorem mente mea perpendens, non nisi omnia  
bona ac felicia ominari possum. Quia de causa etiam  
non sine singulari providentia divina factum est, ut,  
quum INVICTISSIMÆ RVSSORVM IMPER-  
ATRICIS nomine Collegium Medicum per lite-  
ras humanissimis terminis ad me datus egregios  
quosdam Medicos desideraret, TIBI dignis ac du-  
dum promeritis honoribus condecorando prius, hanc  
amandandi provinciam animum induxerim. Ne-  
que etiam ego; quia TVAM mentem, sudores &  
labores bene cognovi, in exteris & diffitibus regio-  
nibus de felicissimis pariter conatu[m] TVORVM  
successibus dubitare; sed omnia potius fausta ac  
prospera predicere debeo: id, ut BENIGNISSI-  
MVM NVMEN clementissime largiatur ac con-  
cedat, & cuncta TIBI feliciter tam in itinere,  
quam ubicunque terrarum fueris, cedere atque e-  
venire jubeat, est, quod ex omni animo appreco.

Hale Salica. d. XXII. Julii A. R. S.  
MDCC XXXI.

**H**o trifft, Geehrter Freund! nunmehr auch bey Dir ein,  
Dass Arbeit, Näh und Fleiß sich endlich wohl belohnen,  
Dass Eingend und Verstand mit Glück- und Ehren-Eroben,  
Wie Pomeranzen-Frucht geziert müssen seyn.  
Mit Rechte wird Dir jetzt der Lorbeer-Kranz gereicht,  
Mit Rechte wirst Du auch sofort ins Amt verlanget:  
Denn wer mit Wissenschaft und edler Eingend pranget,  
Dem zeigt der große Gott und Menschen sich geneigt.  
Der Höchste segne denn den neuen Ehren-Stand,  
Und lasse Glück und Heil auff allen Seiten grünen,  
Gesundheit, Kraft und Muth dem Rechten recht zu dienen,  
Und was Du selbst begehrst, verleihe Gottes Hand.

Dieses wolte seinem Hochwertesten  
Freunde und treuen Reise-Ge-  
fährten nach Moskau wohlmei-  
nend beysagen

**JOHANNES JACOBVS LERCHE,**  
Medic. Doctor.

**H**o recht, gelahrt- und muntrer Freund!  
Du suchst Dein Glück / und wirst es finden.  
Wer wankt, und sagt, ist selbst sein Feind:  
Dem Klugen muß der Muth nicht schwinden,  
Du gehst in ein eufernes Land;  
Der Himmel winkt: Drum willst Du reisen,  
Und dort den wirkenden Verstand,  
Zu Deines Namens Ruhme weisen.  
Nimm mit, was Dir Hoga schenkt,  
Sie kommt, und bringt Dir Hut und Ehre;  
Und Krause / den Dein Abschied kränkt,  
Wünscht, daß Dein Glück kein Wechsel stöhre.

Dieses schrieb aus aufrichtigen Herzen  
Des Herrn CANDIDAT I

getreuer Freund und Diener  
**Johann VICTOR Krause,**  
Mitglied der deutschen Gesellschaft in Leipzig.

Ül 923

v

ULB Halle  
004 179 358

3





SB

Nov 4 1991

Retr. ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24



*B.I.G.***Farbkarte #13**

*INAUGURALIS MEDICA  
DE  
ET SPASMO EX  
LO FELLEO*  
*QVAM  
VMINE DIVINO  
ET  
STATIS MEDICÆ CONSENSU  
RÆSIDE  
CO HOFFMANNO  
MEDICÆ SENIORE & h. t.  
DECANO  
ORALI DIGNITATE  
ME OBTINENDA  
unii Anni MDCCXXXI.  
L. Q. C.  
rum examini committet  
MVS NITZSCH  
NTISCANVS.  
MAGDEBURGICÆ  
HILLIGERI, Acad. Typogr.*